

turae, quod ad Dei gloriam ultimo referatur, *conc.* quod ad Dei gloriam ultimo non referatur, *nego*.

*Instab.* Homo per actum spei, Deum ad se refert; ergo actus spei est vitiosus, proindeque repugnat statui perfectorum.

*Resp.* *Dist. ant.* Deum ad se refert, ut ad objectum cui possessionem Dei optat, *conc.* ut ad finem ultimum, *nego*. Homo enim, dum Deo frui desiderat, refert se ad Deum, ut ad finem suum ultimum, quo obtento, nihil amplius desiderat.

Quaeres 8. *Utrum spes sit certa?*

*Resp.* Est certa ex parte Dei, Eccli. 1. *Scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* Sed est incerta ex parte nostri, quia pendet ex conditione custodiae mandatorum Dei usque in finem, de qua certi esse non possumus, absque speciali Dei revelatione: unde Apost. Philipp. 2. monet: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.*

Quaeres 9. *Utrum actus spei sit necessarius necessitate medi ad salutem?*

*Res affirm.* Nam, Rom. 8. dicitur: *Spe salvi facti sumus.* Hinc Conc. Trid. inter actus ad justificationem adulorum simpliciter praerequisitos, actum spei recenset.

Quaeres 10. *Utrum actus spei sit necessarius necessitate preecepti divini?*

*Resp. affirm.* Nam 1. ad Tim. 6. *Divitibus hujus saeculi preecipi....neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Hinc Alex. VII. et Clerus Gallic. an. 1700. haec prop. dammarunt: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi preeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Quaeres 11. *Quaenam peccata sint spei opposita?*

*Resp.* Duo, nempe, *desperatio*, quae est, *voluntaria diffidentia assequendi beatitudinem, et obtinendi media*

*ad illam assequendam necessaria.* Et *praesumptio*, quae est, *temeraria beatitudinis, et mediorum ad eam assequendam necessariorum, expectatio.* Potest autem oriri, aut ex haeretica opinione, vel Pelagianorum, docentium quod per solas naturae vires vitam aeternam promeri possimus; vel Lutheranorum, asserentium quod fide sola sine operibus justificemur et salvemur. Aut ex desidia malorum Christianorum, qui inani spe misericordiae Dei peccant, vel poenitentiam ad finem vitae diffrerunt.

### DISSERTATIO III.

#### *De Charitate.*

Quaeres 1. *Quid sit Charitas?*

*Resp.* Est, *virtus theologica infusa, qua Deum super omnia diligimus propter se, et proximum sicut nos propter Deum....* Dicitur 1. *Super omnia*, non quidem intensive, ita ut voluntas summo ardore et conatu in Deum tendat: sed *appreciative*, ita ut homo Deum rebus omnibus anteponat.... Dicitur 2. *Et proximum*, quo nomine intelligitur, quicumque nobiscum capax est gratiae et gloriae.... Dicitur 3. *Propter Deum*, ita ut Deus in proximo ametur.

Ergo objectum *materiale* charitatis adaequatum, est Deus, nos ipsi, et proximus: objectum vero *formale*, est bonitas et amabilitas Dei, quia est motivum propter quod charitas tendit in objectum suum *materiale*.

Agemus 1. De preecepto et ordine charitatis. 2. De officiis ejus. 3. De vitiis charitati oppositis.

#### *§. I. De preecepto et ordine charitatis.*

Quaeres 1. *Utrum preeceptum charitatis erga Deum sit speciale, et ab aliis distinctum?*

*Resp.* Est speciale; nam 1. *Deuter.* 6. traditur seorsim. II.

sim ab aliis praeceptis. 2. Respectu aliorum mandatorum dicitur *maximum et primum*. Matth. 22. Item, Joann. 14. dicitur: *In his duobus praeceptis (dilectionis Dei et proximi) universa Lex pendet et prophetae: sed nihil respectu sui ipsius potest esse primum, nec a seipso pendere; ergo. Hinc Clerus Gallic. an. 1700. damnavit hanc prop. Praeceptum affirmatum amoris Dei et proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum praeceptorum ad mplectionem satisfit.*

Quaeres 2. *Utrum semper et pro semper obliget praeceptum charitatis, ita ut teneamus omnia prorsus opera nostra ad Deum ex motivo proprio dictae charitatis referre?*

*Resp. negative.* Alias omnes nostrae actiones, quae non referrentur ad Deum ex motivo charitatis proprie dictae, essent peccata, quod est falsum, ut constat tum ex Concil. Trid. sess. 6. can. 31. definitio, *Justificatum non peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur.* Et ex Alex. VIII. qui hanc propos. damnavit: *Quisquis, etiam aeternae mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* Sic etiam damnata est propos. 14. Quesnelli.

*Objicies.* Tenemur omnes actus nostros ad Deum referre ex praecepto charitatis: ergo et ex motivo charitatis.

*Resp. Nego conseq.* Nam ex praecepto charitatis tenemur per actus fidei et spei nos disponere ad charitatem, nec tamen tenemur hosce actus elicere ex motivo charitatis: sufficit ergo ut actus nostros referamus ad Deum ex fine honesto et rationabili, faciendo opus, quod ex natura sua referibile sit ad charitatem, ait D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 6.

Quaeres 3. *Quandonam obliget praeceptum charitatis?*

*Resp. Obligat 1.* Cum quis, moraliter loquendo,

usum rationis attigit, ita docet D. Thom. 2. In probabili mortis periculo: tunc enim tuto quisque saluti suae consulere debet. 3. Cum necessarium judicatur ad vietandum peccatum, aut vincendam gravem tentationem. 4. Saepissime in decursu vitae: nam, *Deut. 6. praeceptum dilectionis Dei nocte, et die, in domo et in itinere, debet esse in corde nostro;* ergo crebro est implendum. Hinc Alex. VII. et Clem. XI. damnarunt propositiones sequentes.

1. *Praeceptum amoris Dei, per se tantum obligat in articulo mortis.* 2. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita el ceret, condemnare non audemus.* 3. *Probabile est ne singulis quidem rigore quinquenniis, per se obligare praeceptum charitatis in Deum.* 4. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus viam qua justificari possimus.*

Quoties autem per annum obliget, *per se*, non potest facile determinari: non tamen infundata est opinio Scotti asserentis obligare singulis dominicis diebus ac festis, juxta illud D. August. lib. 12 de Trinit. cap. 14. *Quis vero est cultus ejus, nisi amor ejus?*

Quaeres 4. *Quomodo debemus diligere proximum?*

*Resp.* Actu benevolentiae interno: nam debemus illum diligere sicut nos ipsos: atqui haud dubie nos ipsos diligimus affectu interno; ergo. Hinc Innocent. XI. hanc prop. damnavit: *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Quaeres 6. *Quandonam obliget praeceptum dilectionis proximi?*

*Resp.* 1. Obligat *per se* saepius in vita, quia simile est praecepto dilectionis Dei, Matth. 22. Secundum autem, mandatum, *simile est huic;* atqui praeceptum dilectionis Dei obligat *per se* saepius in vita.

*Resp.* 2. Obligat *per accidens.* 1. Dum urget gravis tentatio odii, quae absque actu dilectionis superari non potest. 2. Dum videmus proximum gravi injuria affici.

3. Dum ex pracepto charitatis debemus proximo succurrere.

Quaeres 6. *An illud praeceptum se extendat ad inimicos?*

*Resp. affirm.* Matth. 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, &c.* Hinc inimicis debemus 1. ex corde remittere offensam. 2. Ex interno affectu exhibere communia dilectionis signa. 3. Opitulari in necessitate. 4. Damnum ipsis imminens avertere, dum sine gravi nostro incommodo possumus. 5. Dare coadonationis signa ubi primum veniam petunt, nisi offensus sit superior, qui, correctionis et aliorum exempli causa, potest externa coadonationis signa differre, modo in corde dimittat, et charitatem servet. 6. Non tenetur tamen laesus remittere actionem injuriarum, quia solus appetitus vindictae, non ordo justitiae repugnat charitati.

Quaeres 7. *An et quotuplex sit ordo in charitate?*

*Resp.* Est aliquis ordo in charitate, Cant. 2. *Ordinavit in me charitatem.* Ille autem ordo duplex est, *dilectionis nimirum, et beneficii.* Primus petitur ex dignitate objecti, unde meliora magis amari debent. Secundus petitur ex indigentia personae cui subvenitur, ita ut illi, qui nobis sunt conjunctiores, praferantur caeteris. Hinc

1. *Ordine dilectionis,* Deus est super omnia diligendus, quia est infinite bonus. 2. *Creaturae sanctiores praeceteris sunt diligendae, quia sunt Deo conjunctiores.* 3. *Anima nostra praecorpore, quia est dignior.*

2. *Ordine beneficii,* tenemur magis nos diligere, quam proximum in eodem genere bonorum: quia dilectio nostri est regula dilectionis proximi; atqui regula est prior regulato.... Dixi: *in eodem genere bonorum,* quia tenemur propriam vitam corporalem exponeare pro aeterna proximi salute, si sit in extrema salute.

tis necessitate. 1. Joann. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

3. *Eodem ordine beneficii,* cum omnibus in pari necessitate constitutis non possumus succurrere, ii sunt praferendi, qui nobis sanguine vel amicitia sunt conjuncti, juxta gradum et rationem conjunctionis: quia hoc dictat natura rationalis quam charitas non destruit, sed perficit.

### §. II. *De officiis Charitatis.*

Quaeres 1. *Quaenam sint officia charitatis?*

*Resp.* Sunt opera misericordiae, tum corporalia, tum spiritualia.

Quaeres 2. *Quot sint opera misericordiae?*

*Resp.* Sunt 14. Quorum septem priora sunt corporalia, septem posteriora sunt spiritualia, quae comprehenduntur his versibus:

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

*Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.*

Quaeres 3. *Utrum correptio fraterna cadat sub pracepto?*

*Resp.* Cadit sub pracepto, tum *naturali*, est enim eleemosyna spiritualis quae cadit sub pracepto dilectionis proximi. Tum *positivo divino*, Eccli. 19. *Corripe amicum....ne forte iteret.* Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum;* si te audierit, *lucratus eris fratrem tuum.* Porro praeceptum illud est universale: unde 1. Nemo, correctioni facienda idoneus, ab ea facienda immunitis est, Eccli. 17. *Mandavit unicuique de proximo suo.* 2. Non solum aequales, sed et superiores sunt corripiendi, magis tamen obsecrando, quam arguendo, juxta illud 1. ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.*

Quaeres 1. *Quaenam conditiones requirantur, ut quis ad fraternalm correptionem obligetur?*

Resp. Sex. 1. Ut constet de peccato proximi, praesertim mortali. 2. Ut constet proximum nondum resipuisse. 3. Ut sit probabilis spes emendationis, quia nemo ad actum inutilem tenetur. 4. Ut nullus adsit magis idoneus, v. gr. dignior vel superior, qui possit et vellet corripere, nam si nollet, perinde esset ac si nullus ades. 5. Ut non speretur tempus correptionis magis opportunum, in hoc enim casu esset differenda. 6. Ut materia correptionis sit necessaria, qualis est respectu privati peccatum mortale.

Quaeres 5. *Quis ordo servandus sit in correptione fraternali?*

Resp. Sub gravi peccato debet, per se loquendo, servari ordo a Christo praescriptus, *Math. 18*. Unde si sufficiat secreta admonitio, non sunt adhibendi testes; si testis unus sufficiat, non sunt plures adhibendi; si testes non sufficiant, deferendum est peccatum ad Superiorem, ut illud pro sua auctoritate compescat.... Dixi *per se loquendo*: quia excipiuntur quatuor casus, in quibus peccatum proximi immediate deferendum est Superiori: 1. Quando crimen est publicum. 2. Quando vergit in grave aliorum detrimentum spirituale vel corporale. 3. Quando prudenter judicatur privatam motionem non profutaram, quia tunc delinquens egit correptione Superioris. 4. Quando proximus cessit iuri suo ad propriam famam, quomodo sit in Societate Jesu.

Quaeres 6. *Utrum detur praeceptum eleemosynae?*

Resp. affirm. 1. Joann. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Ergo facienda est eleemosyna eis qui sunt in necessitate.

Quaeres 7. *Quotuplex est necessitas?*

Resp. Triplex, nempe, *extrema*, quando proximus est in periculo mortis. *Gravis*, quando proximus e suo statu caderet, nisi ei subveniretur. *Communis*, qualis est pauperum ordinariorum. 1. Pauperibus extremam necessitatem patientibus subveniendum est ex bonis superfluis ad vitam, licet necessariis ad status decentiam. 2. Pauperibus in gravi necessitate constitutis subveniendum est ex bonis ad integrum status decentiam aliquatenus necessariis, alias non amaret proximum sicut se ipsum. 3. Pauperibus in communi tantum necessitate constitutis, subveniendum est ex superfluis status et conditionis: unde D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. ad 4. ait: *Dominus omnia superflua pauperibus jubet exhiberi, juxta illud Lucae 11.* Quod superstest, date eleemosynam.

### §. III. De vitiis charitati oppositis.

Quaeres 1. *Quot sint peccata charitati specialiter opposita?*

Resp. Decem a D. Thom. a quaest. 34. ad quaestio-  
nem 44. recensentur, nempe 1. *Odium Dei et proximi*,  
quod opponitur amori Dei et proximi. 2. *Acedia*, quae  
opponitur gaudio de bono Dei. *Invidia*, quae gaudio de  
bono proximi adversatur: *discordia, contentio, schisma,*  
*bellum injustum, rixa, sedatio*, quae paci charitatis oppo-  
nuntur; et tandem *scandalum*, quod correctioni frater-  
nae adversatur.

Quaeres 2. *Quid sit scandalum?*

Resp. Definitur a D. Thom. q. 43 art. 1. *Dictum vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.* Non ergo requiritur ut dictum vel fa-  
ctum, sit malum, sed sufficit ut habeat speciem mali,  
nec requiritur ut ruina sequatur, sed sufficit ut occasio  
ruinae praebatur.

Quaeres 3. *Quotuplex est scandalum?*

Resp. Duplex, nempe, *activum*; seu, *datum*, quod

mox definivimus, et *passivum*, seu *acceptum*, et est ipsa ruina sequens ex scandalo dato.

Quaeres 4. *Quotuplex est scandalum activum?*

Resp. 1. *Duplex*, nempe, *directum*, quo quis dictis vel factis proximum in ruinam inducere intendit; v. gr. in fornicationem; et *indirectum*, quo licet quis non intendat expresse proximum ad peccatum inducere, nonnulla dicit vel facit, quae aliis sunt occasio peccandi.

Quaeres 5. *Quotuplex est scandalum passivum?*

Resp. *Duplex*, nempe, *Pharisaicum*, quod oritur ex sola malitia accipientis, propter dictum vel factum alterius rectum; et *scandalum pussorum*, quod oritur ex ignorantia aut infirmitate accipientis, propter dictum vel factum alterius rectum, vel indifferens.

Quaeres 6. *Utrum scandalum datum, sit peccatum?*

Resp. Scandalum etiam indirecte datum est peccatum mortale ex genere suo, et quidem distinctum a mala actione, quae occasionem ruinae spiritualis praebet; quia graviter peccat contra charitatem proximi, cui est occasio ruiae.... Hinc peccant mortaliter contra castitatem et charitatem proximi, qui imagines nudas faciunt, aut palam exponunt. Qui agunt comoedias obscenas, &c.

Quaeres 7. *Utrum ad vitandum scandalum pharisaicum, dimittenda sint bona temporalia, aut etiam spiritualia?*

Resp. negat. Quia Christus, *Matth. 15.* docet, scandalum pharisaicum esse contemendum: *Sine illos, caeci sunt.*

Quaeres 8. *Quid debeat omitti ad vitandum scandalum infirmorum?*

Resp. Debet omitti 1. actiones indifferentes. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem*, ait Apost. 2. Opera consilii, quia, cum non sint necessaria ad salu-

tem, possumus illa omittere sine gravi nostro incommodo; atqui lex charitatis exigit, ut fratri, in necessitate spirituali constituto, subveniamus, cum sine gravi nostro incommodo possumus; ergo. 3. Etiam probabilius debent omitti praecepta affirmativa, quia ea desercent charitati; ergo non obligant in circumstantiis, in quibus charitas dictat esse omittendam hic et nunc eorum observantiam, ut succurratur spirituali proximorum necessitatibus. Sic mulier quae praevidet se turpiter concupiscendam si eat ad Sacrum tali die festo, debet illud omittere, saltem semel et iterum: non potest tamen longo tempore abesse, quia inde oriretur scandalum, et grave damnum spirituale, quod non tenetur subire ad vitandum peccatum alterius.

Quaeres 9. *Utrum liceat alteri vendere aut dare rem de se licitam, qua praevideatur male usurps?*

Resp. Non licet, quia quisque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, saltem cum potest sine gravi suo incommodo.

Quaeres 10. *Utrum ex gravi causa liceat alteri dare rem, aut operam ex se licitam aut indifferente, quae tamen spectatis circumstantiis ad peccatum ordinatur?*

Resp. Si proxime ad peccatum ordinetur, non licet, ut definivit Innoc. XI. propos. 51, quia est moraliter et proxime cooperari peccato alieno. Si remote tantum ordinetur ad peccatum, licet, quia tunc non est moraliter cooperari peccato alieno, sed solum illud permittere ex gravi causa, ob quam non tenetur illud impedire, nisi sit contra bonum commune, aut Ecclesiae; quia bonum commune praeponderat bono privato.